

Joachim Stockmann

## **Programma Quo Ad ... Viri Domini Nicolai Papken, I.U.D. ... Exequias**

Rostochi[i]: Pedanus, 1629

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn776801260>**


Druck Freier  Zugang




Stocman, J.,  
in  
N. P a p k e .  
Rostock, 1629.

9







PROGRAMMA

Quo

Ad

Clarissimi & Consultissimi  
Viri Domini

NICOLAI

PAPKEN, J. D.

Celeberrimi

Exequias

RECTOR ACADEMIAE

D. JOACHIMUS STOCMAN

Phys. Profess.

invitat

Omnes omnium ordinum Cives.



Rostochi

Excudebat JOACHIMUS PEDANUS,

Acad. Typegr. Anno 1629.





RECTOR  
AC ADEMIAE ROSTOCHIENSIS,  
D. JOACHIMUS STOCMANNUS  
Physices Professor.



T ij, qui navigant non omnes eadem fortuna utuntur licet eodē in mari neq; iisdem ventis pariter ad portum perveniunt: ita qui mundanum hujus vitæ Oceanum ingressi sunt, licet non uno omnes tempore, cum omnes ad eundem finem tendant, nec omnes tamen eadem via provehi nec eadem celeritate ad portum ferri hodiernus dies evidenti exemplo ostendit, ac certo testimonio confirmat. Cum enim heri juvenis, qui multo posterius navigare ceperat, & pro temporis ætatisq; ratione procul à portu abesse putabatur, in locum suæ quietis deductus sit: hodie virum ætatis maturum, & qui annos haud paulo plures inter navigandū consumsit, eundem portum subiisse & ab exhaustis laborib9 deinceps quiescere.

scere videmus. Hoc iter cum ille peregerit non sine honore & laude, nostrum erit ejus rationem cognoscere, & quantum licet imitari. Ingressus est vero hoc humanæ vitæ iter, Anno septuagesimo primo, supra millesimum quingentesimum, die vigesimo octavo mensis Novembris, ex honestissimis parentibus natus NICOLAUS PAPKEN, & JESCHA SLORFIA, qui filium primogenitum, ut pios parentes decebat, sollicitè & accuratè educarunt, & cum ad cultum literarum per ætatem idoneus videretur, magistris eum commendarunt, apud quos ita se gessit, ut & literas ipsas alacriter arriperet, & pietate ac modestia ætatem commendaret, ac officiis obedienti filio convenientibus parentes exhilararet. Quod illius studium ita cum ætate crevit, ut mature ad Jurisprudentiam respiceret, cujus cum ex claris. VIRO, D. MATHIA FLACIO ILLYRICO Medico & Philosopho, quod organum ejus Logicum restatur, non multorum simili, eam indolem esse disceret, ut neminem nisi humanioribus artibus instructum ad sui interiorum complexum admitteret, hunc ductorem ita secutus est, ut mox dignus videretur, qui suam industriam in Academiis exteris periclitaretur. Itaque suo tempore missus est Lipsiam, Argentoratum, Heidelbergam, Coloniam Agrippinam,

Ingolstadium, quibus ita usus est, ut & plurib.  
aliis, ut multorum præclarissimorum in iis vi-  
rorum notitiam acquireret, eorumq; virtutem,  
& eruditionē sibi sequendam eligeret: Idq; non  
soliis contemplationis ergo, sed vero etiam a-  
ctionis, quam in summo Germaniæ tribunali,  
quod apud Nemetas est, Spiræ, ita gnaviter  
exercuit, ut Illustris, Princeps GEORGIUS GU-  
STAVUS, PALATINUS, ad Rhenum operam ejus  
posceret, totoq; triennio fidelem experiretur.  
Et haud dubie diutius in isto theatro se spectan-  
dum præbuisset, nisi in patriam & ipsius & pa-  
rentum caritas ex isto cursu ipsum revocasset.  
Vix reversus in eā, virtutis & eruditionis fama  
innotuit Serenissimæ Reginæ matri viduæ in  
Dania, & ut ei à consiliis esset electus, eam  
provinciam usq; ad vitæ finem pro virili ad mi-  
nistravit. Erat hoc testimonium virtutis locu-  
pletissimum, nec tamen sufficere videbatur  
beato nostro, nisi Academia nostræ honorario  
iudicio & suffragio confirmatū: idq; haud paulo  
rectius & melius, quam peregrina quorundam  
ac transmarina iudicia statuunt, quib. honoris  
Academici titulus parum probatur. Sed illos  
quidem suo sensu abundare sinamus: Sanè vir  
Amplis. Dn. MARCUS TANKE, quem sua virtus  
& pru-

& prudentia jure merito ad consularem digni-  
tatem provexit, quam hodieq; summa cum lau-  
de tenet & ut diu teneat sospes, ex animo vove-  
mus, is ergo longè aliter judicavit cum dignum  
his de causis putaret, cui filiam suam dilectissi-  
mam, omnibus virtutibus ornatissimã virginẽ  
MARGARETAM anno millesimo sexcentissimo se-  
cundo die 26. Januarij stabili & felici conjugio  
jungeret propriamq; dicaret. Approbavit con-  
jugium Deus, & suam approbationem suavissi-  
mo liberorum munere declaravit. Siquidem  
Anno millesimo sexcentesimo tertio, die septi-  
mo Aprilis, hæc MARGARITA aliam edidit M A R-  
GARITAM, valde quidem venustam illam, sed quã  
fata parentibus tantum ostenderunt non ultra  
septimum diem esse voluerunt superstitem.  
Igitur consecuta est eam 9. Julij Anno 1604. al-  
tera AGNETA, quæ forma & virtute parentibus  
quanto gaudio fuit, tantum vel majorem eo lu-  
ctum reliquit, cum ornatissimo viro juveni &  
patritio Dn. J A C O B O L E M K E M, nunc Senatori  
prudentis. fautori & amico nostro plurimũ co-  
lendo splendide nupta, tertio anno conjugij in-  
sperata morte decederet. Anno 1606. die 18. Oct.  
N I C O L A U M, felici partu edidit, quem san-  
nis, literis & conjugio florentem, quod cum le-  
ctissima

etissima virgine ANNÄ VON HERVORDEN contra-  
xit, novim9, & ut diu solatio matris & avi gau-  
dio floreat vovemus. Eum nascendi ordine se-  
cuti sunt anno sexcentesimo decimo die 8. Au-  
gusti filius alter, & sexcentesimo duodecimo, die  
21. Junij filiola, sed ambo citius pene denati, quā  
nati. Ex quo tempore, quicquid etiam defunctis  
debitum fuisset, officij, curæ, diligentia, collo-  
caturum à sedulis fuit parentibus in superstites,  
qui, ut viderunt parentes pietatis, & virtutis  
exemplo præeuntes, ita sedulo, quoad licuit se-  
cuti sunt, neq; nunc filius unicus, quem Deus  
diu superstitem esse velit, sequi desistit. Verum,  
ut humana sunt variis casibus obnoxia, quiq; le-  
vissimis, ut apparet, ex causis oriuntur: ita no-  
stro quoq; defuncto occasionem sui decessus de-  
dit vulnus in magno dextri pedis digito ex at-  
tritione ortum, quod, licet Chirurgorum opera  
ultra annum usus, tamen ad consolidationem  
deduci non potuit: Sed in corpore cachectico,  
ex continuo vitiosorum humorum affluxu, usq;  
adeo vires sumsit, præsertim cum viscerum na-  
turalium accederet imbecillitas, & qui morbi  
eam comitari vel sequi solent, ut ei finem vi-  
vendi afferret. Et sanè sic sibi allatum æquissi-  
mo ille animo accepit, cum in animo suo cer-  
tum


tum & constitutum haberet, fore ut ex tempestate in  
portum perveniens in eo vitæ æternæ initium inveniret.  
Hoc enim testatus est non solum Christiana modestia ac  
patientia, quam toto morbi tempore ostendit, verum et-  
iam precibus ex animo fidelis ad Deum fuis, quas ille cle-  
menter exaudivit, ac votis annuit. Conjugis quidem, de-  
cumbenti marito fideliter adstantis, filijq; & cæterorum  
cognatorum preces, gemitus ac lacrumæ longè diver-  
sum postulabant: sed ipse in Dei sententiam non qui-  
dem pedibusibat, sed fidelis animæ suffragio concede-  
bat. Igitur ad hunc fere modum noster Beatus iter  
suum absolvit, portum assecutus, idq; eo tempore,  
quo Ecclesia natalem Christi servatoris nostri celebrat,  
ejus enim noctis, quæ hunc diem Natalem secuta est  
hora piè placidèq; discessit evidenti argumento, diem,  
qui ultimus ejus vitæ fuit, non emortualem cum  
vulgo dicendum, sed verè natalem & æternæ vitæ initia-  
lem: In qua perfectissimè fruatur ea pace, quam chorus  
angelorum pastorib. Bethleemiticis, adeoq; toti fidelium  
Ecclesiæ, sui principis nomine, qui pacis est princeps, pu-  
blica voce promulgavit. Eiusdem argumenti evidentia,  
& S. Stephani exemplo persuasi hanc mortè somnum esse  
arbitramur, & interpretamur, cumq; placidissimum, &  
qualè Græci *νήδυμω* appellare solent, Alexander ille M.  
cum adulatores eum ex homine Deū facerent, negavit se  
iis fidem habere, quia somno caperetur: at homo pius &  
fidelis hoc somno captus, non solum dicit, quod quidam  
apud Tragicum *ὦ φίλον ὑπὸς θελγηστον ἴπτικρον νόσος ὡς  
ἠδύ μοι πρὸς αἰθέρας ἐν δεινότητι*: sed etiam immortalitatis  
compos ejus beneficio evadit, & in cætum cælestis Ec-  
clesiæ recipitur.

Et

Et horum quidem fidem divina nobis firmant ora-  
cula: Sed quia propter sublimem naturam visibus  
ac sensibus humanis negata oculis pectoris hauriuntur,  
difficiliter & non sine sensu quodam doloris in animum  
descendunt. Quare Deus orandus est, ut Spiritum San-  
ctum veræ ac solidæ consolationis unicum autorem lar-  
giatur omnibus, qui hujus eximij viri obitu dolorem  
sentiant: neq; nihil in nostra quoq; Sympathia situm vi-  
detur, quam ipso jure ab Academia nostra cujus mem-  
brum fuit, ipse postulate multo vero magis, qui in utraq;  
familia superstites hoc à nobis officium requirunt: maxi-  
mè autem vir Magnificus, Amplifs. & Prudentiss. Dn.  
MARCUS TANCKE, Consul hujus urbis bene meri-  
tus, cui omnino hoc officium debemus, ut frequenti  
nostro ad exequias conventu testemur, nos & virtutē  
defuncti suo precio aestimare, & favorem Dn. Consulis  
gratis animis agnoscere & prædicare. Nostram quoq;  
mortalitatem una opera recordabimur, & quod semper  
faciendum est, nos ipsos Deo opt. max. & omnia nostra,  
pro horum temporum ratione commendabimus, qui ut  
ex tenebris densissimis lucem, ex tempestate serenita-  
tem potest producere, ita ex luctuoso bello desideratam  
pacem, cum visum fuerit ejus providentiæ, producet, id  
quod piè precamur, & speramus, imo confidimus. Funus  
fiet in templo Mariano ad horam 1. P. P. sub Sigillo Re-  
storatus ad diem 29. Decemb. Ann. 1629.











& prudentia jure merito ad co-  
tatem provexit, quam hodieq;  
de tenet & ut diu teneat sospes  
mus, is ergo longè aliter judica-  
his de causis putaret, cui filiam  
mam, omnibus virtutibus orn-  
MARGARETAM anno millesimo  
cundo die 26. Januarij stabili &  
jungeret propriamq; dicaret.  
jugium Deus, & suam approba-  
mo liberorum munere declar-  
Anno millesimo sexcentesimo  
mo Aprilis, hæc MARGARITA al-  
GARITAM, valde quidem venust-  
fata parentibus tantum osten-  
septimum diem esse volueru-  
Igitur consecuta est eam 9. Ju-  
tera AGNETA, quæ forma & v-  
quanto gaudio fuit, tantum ve-  
ctum reliquit, cum ornatissim-  
patritio Dn. JACOBO LEMKE  
prudentis. fautori & amico no-  
lendo splendide nupta, tertio  
sperata morte decederet. Ann-  
NICOLAUM, felici partu-  
nis, literis & conjugio florent

A 3

digni-  
m lau-  
vove-  
ignum  
ectissi-  
virginē  
imo se-  
njugio  
rit con-  
avissi-  
uidem,  
e septi-  
M A R-  
sed quā  
n ultra  
titem.  
604. al-  
entibus  
n eolu-  
veni &  
enatori  
mū co-  
ugij in-  
18. Oct.  
em lan-  
cum le-  
ctissima

